177406

ACTA
Circa Submissionem, Fidemq;
Sæ. Ræ. Mti. Sveciæ
à Militia Qvartianorum in Polonia præstitam.

Anno MDCLV.



Literæ, nomine Militiæ Qvartianorum S. R. Mti. Sveciæ Casimiriæ d. 2. Octob. ao. 1655. exhibitæ.

Sacra ac Serenissima Regia Majestas, Domine, Domine Clementissime.

IN tali Regnorum, imperiorumq; conversione, qvam vel florentissimis qvibusq; ad occasum vergentibus novas inducere formas tractus docent temporum, eò res qvoq; nostræ Reipublicæ devolutæ sunt, ut alium Dominum qværere cogamur, non fide nostra Regi debita in aliqvo, juxta antiqvum Gentis nostræ morem, vacillante, sed Eo ipso nos, Regnumq; hoc, deserente; mentemq; nostram eò convertimus, ut nonnulla hoc in negotio, per Generosos D. D. STANISLAUM WYZICKY, Dapiferum Novogrodensem, & SAMUELEM LOIOWSKY, Vicerotmagistrum Generalis Notarii campestris Regni cohortis, Legatos nostros, exponenda S.æ R.æ M.ti Vestræ statueremus: minime dubitantes, qvin, qvemadmodum hæc proficiscuntur ab animo nostro prono erga S.am R.em M.tem Vestram, cujus fama celebris gloriose orbem peragrat, benigne sit eadem M.tas V.a R.a qvoq; acceptura, votisq; ac desideriis nostris benigne responsura. Felices interim, victoriososq; rerum successus S.æ R.æ M.ti V.æ apprecantes ex animo, nos, humilimaq; obseqvia nostra gratiæ, favoriq; ejusdẽ diligentissime commendamus.

Sæ. Ræ. Mtis. Væ.

ad obseqvia paratissimi

Alexander in Koniecpole, S. R. I. Princeps, supremus regni Poloniæ Vexillifer.

Demetrius Georgius, Dux in Zbaraz & VViesnowiec.

Johannes Sapiecha, exercitus regni Polon. Commissarius general.

Johan. Piasezinsky, Gubernat. Novogrod.

Johan. Sobiesky, Pulcownick woyska Kwarcianowa.

Roricky Kristoph, Pulcownick.

Responsum & Declaratio S. R. Majestatis.

SAcra Regia Majestas probe consideravit, perpenditq; tam ea, qvæ coram, qvam qvæ scripto proposuerunt militiæ Qvartianorum Deputati, nec potest non nisi laudare & magnifacere eam curam, qvam eadem militia non sui duntaxat, verum etiam patriæ agit. Cumq; S. R. Mtas. tam pro innata sibi indole ad clementiam & omnia recta propensa, qvam gloria gentis Polonæ tot præclare gestis celebri mota, semper sibi Poloniæ salutem & conservationem propositam habuerit: ita &, ubi universi Ordines tempestive se Regiæ Majestati stiterint, non est defutura S. R. Mtas., qvin & Libertatis, Religionis, bonorum ecclesiasticorum, administrationis Justitiæ, jurium, privilegiorum & immunitatum, tam qva personas, qvam bona Nobilium eorum, qvibus bona regalia concessa sunt, nec patriam suã deseruerunt, militiæ Polonæ & disciplinæ militaris, Provinciarum, bello Polonis ablatarum, officiorum distribuendorum, gubernationis Poloniæ, eorumq; omnium, qvæ articulis 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11. sunt expressa, condignam rationem habeat, ut collatis cum Ordinibus consiliis ea statui possint, qvæ è re & usu tam S. R. Mtis. qvam Poloniæ, omniumq; & ecclesiastcorum & secularium esse possunt: promittitq; S. R. Mtas., Se haud gravate operam suam in hunc finem commodaturam, modo Ordines præstituto tempore S. R. Mtem. conveniant, & cum eadem in commune consulant.

Qvod

Qvod vero militiam Qvartianorum ſigillatim attinet, qvandoqvidem ad clementiam S. R. Mtis. tempeſtive confugit, eandemq; Regiam Majeſtatem per Deputatos ſuos de fide & obſeqvio ſuo certam reddidit, & imperio S. R. Mtis. ſe ſubmiſit; atq; illius militiæ virtus & fortitudo, continuis adverſum Chriſtiani nominis hoſtem excubiis, aliisq; ſtrenue factis comprobata, maximo apud S. R. Mtem. in pretio ſit, ſeqventi modo dictam militiam certam, ſecuramq; facere, clementi in eandem affectui ſuo congruens judicavit, S. R. Mtas., ea ſpe freta, hanc benignitatem ſuam rite grateq; ab ea agnitam iri, prout etiam S. R. Mtas. id eſt actura, ut Qvartianorum militia continua indies incrementa propenſæ erga ſe voluntatis Regiæ ſentiat, percipiatq;.

1. Sancte promittit S. R. Mtas. Nobilibus militiæ Qvartianorum libertatem conſcientiarum, & liberum Religionis exercitium in ſua cuiq; religione ſartum, tectum & inviolatum fore, nec à qvopiam labefactatum iri.

2. Qvemadmodū S. R. Mti. in viros ſtrenuos ſingulari propenſione fertur; ita etiam Nobilibus Qvartianis jura & privilegia ſua à Majoribus parta, & ut à Regibus Poloniæ antiqvitus fuere conſervata, pariter in poſterum integra futura ſpondet.

3. Eorum bona hæreditaria etiam penes poſſeſſores ſuos manebunt, nec ſtativis militum contra morem, legemq; patriæ, onerabuntur: ſi verò neceſſitas & ratio belli dictitaverit, ut militibus per eadem bona transeundum ſit, tum diſciplina inter eos exacte erit obſervanda.

4. Omnes, qvi ſe tempeſtive protectioni, imperioq;

rioq; S. R. M^tis. ſubdunt, ſine diſcrimine eſt habitura S. R. M^tas., pariq; favore complexura, modò ut ſe virtute & fortiter factis, gloria & cognomine gentis dignos probent, ubi qvisq; pro meritis ſuis, & in Regem, patriamq; ſtudio, à S. R. M^te. erit æſtimandus, præferendusq;.

5. Qvod adminiſtrationem juſtitiæ concernit, non abhorret S. R. M^tas. à recepto in Polonia more, rituq;: verùm cum Juſtitia ad omnes Ordines ſpectet, atq; de ejusdem recta adminiſtratione in Comitiis ſtatui necesſe ſit, illuc ea omnia merito ſunt remittenda. Interim & cum animam exercitus, caſtrorum diſciplinam, ſtare & vigere expediat, Judicia campeſtria in vigore erunt, eæq; leges, qvibus in obſeqvio, ideq; erga S. R. M^tem. contineri Qvartianus miles posſit. Qvod nec difficile futurum arbitratur S. R. M^tas., ſi qvisq; officio ſatisfecerir ſuo.

6. Nobiles Qvartiani posſidebunt ea, qvæ habent, bona Regalia, juxta indulti Regii vim, ſine ullo impedimento.

7. Septimus articulus ut æqvitate ſua nititur, ita Qvartianorũ cauſam haud ſecus ac parens ſibi commẽdatam habebit S. R. M^tas., idq; efficiet proximis Comitiis, ut eisdem pro reſiduo ſtipendio & donativo ſatisfiat: in præſens autem promittit S. R. M^tas., ſe dictis Qvartianis militibus, qvamprimum nomina ſua ediderint, vel annui ſtipendii qvartam partem daturam, vel loco illus convenientia ſtativa asſignaturam, habituramq; de cætero tam univerſæ militiæ, qvam uniuscujusq; Præfectorum & Officialium, pro meritis, conditioneq; ſua condignam rationem. Et cum interſit Poloniæ, eandem ita in ſolido collocari, ut ſtatam,

per-

petuamq; aliqvam militiam habeat, cui inniti posſit, ne illi ad ea mala, qvæ eandem jam diu exercuerunt, ſit deveniendum, ejus rei mentionem in Comitiis facere non eſt intermiſſura S. R. M$^{tas.}$, confidens, ſe conſilio opeq; militiæ Qvartianorum, adeoq; bonorum civium omnium ſublevatam iri.

8. Ut dictæ militiæ laudi esſe debet, qvod de ſecuritate ſua, & qvo maxime modo eidem proſpici posſit, eſt ſollicita; ita congruum & neceſſarium eſt, ut S. R. M$^{tas.}$ ea, qva par eſt, ratione asſecuretur, cum obligatio debeat esſe mutua, ad diffidentiam, qvæ alias enaſci posſet, utrinq; prævertendam.

9. Promittit S.R.M$^{tas.}$, ſe Nobiles militiæ Qvartianorum in iis muneribus & officiis, qvibus nunc præſunt, conſervatos velle, atq; unumqvemq; pro ſuis in Patriam meritis ad majora evecturam, cum id S. R. M$^{ti.}$ cordi ſit, ut gloriam, nomenq; gentis in excelſum attollere posſit. Qvæ omnia & ſingula à S. R. M$^{te.}$ recte riteq; obſervata iri, verbo ſuo Regio ſpondet, promittitq; S. R. M$^{tas.}$, idq; inſuper & in gratiam militiæ Qvartianorum largitur & concedit, ut omnes Poloniæ incolæ, Nobilesq;, qvi conjunctim una cum eadem militia S. R. M$^{ti.}$ ſe ſubjiciunt, fidosq; & obſeqventes ſe præſtant, iisdem privilegiis & prærogativa gaudere posſint.

Qvod verò Nonum atq; Undecimum Articulum propoſitionis, Deputatorum militiæ Qvartianorum, attinet; ita animum ſuum in proximis Comitiis declaratura eſt S. R. M$^{tas.}$ ut exigentia rei ſvaſerit, affectuiq; S. R. M$^{tis.}$ ad ſalutem & conſervationem incolarum Poloniæ propenſisſimo conſentaneum eſt. In qvorum fidem majorem hoc Reſponſum & declaratio-

tionem S. R. Mtas. propria manu subscripsit, & sigillo Regio muniri fecit. Dabantur Casimiriæ ad Crakov. $\frac{6}{16}$. Octobr. Anno 1655.

Carolus Gustavus.

Assecuratio

ex parte eorundem Deputatorum.

NOs infra scripti Militiæ Qvartianorum Deputati, omnibus & singulis, has lecturis, notum, testatumq; facimus: Qvandoqvidem Serenissimo & Potentissimo Principi ac Domino, Dno. CAROLO GUSTAVO, &c. (integer titulus) Domino Nostro Clementissimo, pro innata sibi benignitate & optimo erga eandem militiam affectu suo, visum fuit, humillimis dictæ Militiæ desideriis, eo, qvi in declaratione & assecuratione Regia descriptus est, modo, annuendi; idcirco, nomine ante memoratæ Militiæ Qvartianorum, sincerè, sancteq; promittimus.

1. Qvartianam Militiam Regem Poloniæ abdicaturam, omniq; cum eodem vel ejus adhærentibus & asseclis commercio renunciaturam.

2. Recipimus, spondemusq;, omnes & singulos illius Militiæ fidos & obseqventes S. R. Mti., ut vero Regi suo, se præstituros in omnibus, & contra omnes, sive S. R. Mtas. illorum opera conjunctim, sive separatim uti velit.

3. Promittimus, Præfectos & Officiales Militiæ Qvartianorum literis Reversalibus S. R. Mti. se qvamprimum

primum

primum obstricturos, qvo de eorum obseqvio, fideq; tuta esse possit S. R. M[tas].

4. Asseveramus, omnes urbes, arces, fortalitia & munimenta, qvæ Qvartiano Milite sunt insessa, cum omnibus, qvæ illuc pertinent, S. R. M[ti]., qvamprimum eidem Majestati visum fuerit, traditum iri.

In qvorum fidem majorem hasce manu nostra subscripsimus. Actum Casimiriæ ad Cracoviam, 6/16 Octob. Anno 1655.